


DE "TITANICAE" NAVIS INTERITU

(scriptum a Lucia Mattera)



<<D[ie] XVI [mensis Aprilis MCMXII] maxima quae huc usque vectoriarum navium exstructa fuerit nomine Titan ab Anglia ad civitates foederatas Americae septentrionalis primum profecta, noctu, in immensam glaciei molem ab arctico polo procedentem occurrens, disiicitur atque submergitur. Mille et sexcentae circiter humanae victimae inde heu lugentur!>>: hoc nuntio diurnarii radiophonicae stationis "Vox urbis" orbi nuntiabant eventum signaturum conscientiam communem, fructum legendae ac partialis veritatis. Erat finis myathi, in Anglica terra, ineunte vigesimo saeculo, finis

modus vivendi, ubi magni erant putatae divitiae acquisitae et ostentatae. Somnia, desideria, illusiones evanuerunt in gelido et improvise silentio. At inde nascitura erat legenda, translata in libros, pelliculas, carmina et tabulas pictas.



Cum navibus gemellis *Olympica* et *Britannica* "*Titanica*"¹ fabricata erat in Martio anni 1909 in competitione cum navibus *Lusitania* et *Mauretania*, transatlanticis societatis rivalis.



¹ Nomen originem trahit a mythicis Gigantibus, qui, Olympum aggressi, Iovi impetum fecerunt.

Navis longa erat 269 metra, lata 288; velocitas viginti trium nodorum, id est quadriginta trium Kilometra in singula hora. Erant triginta quattuor cubicula privata, praeter illa coquorum et culinae ministrorum.



Nec deerant pro aegrotis sedes hospitalis et officium postale.

Maxima erat fides in navem invictam putatam, adeo ut multi dicerent "*Deus ipse non potest eam submergere*".



Navis iter inivit quarto die ante Idus Apriles anni 1012 ex urbe Southampton ad portum Novi Eboraci. In itinere morata est in Francogallia et Hibernia, ubi ascenderunt familiae migraturae, motae spe bonae fortunae. Inter homines in navi, divites coniuges Astores, Duff Gordon et Straus, miliardarius Benjamin Guggenheim; diurnarius Guillelmus Thomas Stead et actrix Dorothea Gibson. Mare erat immotum at nox gelida et sine luna impediabat visum saxa glaciei. Non deerant monita radiophonica ignorata, tamen, vel parvi putata. Itaque improvise saxum glaciei secabat sinistrum latus, causans profluvium aquae maris. Prora submersa est in fluctus, dum omnes confuse se iaciebant in lintres et naviculas (inter quas "Carpathia") auxilio missas.





Non omnes servati sunt: multae mulieres, quae ante viros, ut pueri, poterant servari, noluerunt seiungere, fideles usque ad mortem suis caris. Alii, contra, pietatem non habuerunt ne in pueros quidem, unice capti cura sui serbandi (ex iis, Nipponicus Masabumi Hosono, qui, indignus indulgentiae exisistimatus, vixit, usque ad mortem, sine amicis nec negotio).



Quod superest alicuius cubiculi circiter quattuor milia Kilometrorum sub maris superficie



In scripto Theoderici Sacrè cum titulo *"De Titanicae navis interitu"*, editum in situ interretiali *"Latinorum Colloquiorum Collectio"*, versus referuntur de *Titanicae* naufragio. Ad exemplum, carmina Hollandensium Petri H. Damsté (praecipue de orchestra in navi) et Henrici Padberg, necnon Hispanici Iosephi Fonts Surinyach. In opera scripta a Padberg historia est in actibus divisa, cum verbis versibusque mutuatis a Lucretio (a libro sexto in *"De rerum natura"*) et Virgilio (pestis Norica descripta in opera *"Georgica"*).

Haec principalia argumenta:

1. Actus primus (vv. 1-16): Dominat nox; auditur disputare de navi extraordinaria;
2. Actus secundus (vv. 17-44): Exstructio *Titanicae*;
3. Actus tertius (vv. 45-66): Ingressus viatorum;

4. Actus quartus((vv. 67-70): Dives, gravi morbo impeditus, coactus est ad iter recusandum²;

5. Actus quintus (vv. 71-96): *Titanica* incurrit in glaciei saxum;

6. Actus sextus (vv. 97-126): Nimia securitas viatorum, qui ignorant tragediam ineuntem;

7. Actus septimus (vv. 127-150): Terror capit gradatim aviatore, seu viros seu pueros et mulieres;

8. Actus octavus (vv. 151-192): Animus aliquot virorum ac mulierum in auxilio praestando³;

9. Actus nonus (v. 193-238): Preces Deo effunduntur cum notis orchestrae;

10. Actus decimus (vv. 239-264): Auditur extremm hymnum Deo priusquam navis submergitur.

In primis versibus praefectus exstructorum celebrat navem ut portentum technologiae omnino spectacularis.



² Cum eo alii qui serius ad portum pervenerunt, necnon alii impediti morbo propinquorum.

³ Inter hos sacerdos Petrus Byle, qui semper alios sibi anteposuit, se sacrificans ad mortem.

*Frustra temptabunt haec ardua scandere fluctus,
hoc adamas frustra vester inire furor!
impulsus digiti poterit iam claudere portas
hostilesque gradum sistere coget aquas.*

Indicantur inde divites ascensuri navem ad iter fatale (notanda verba prolettica auctoris, qui ad eos loquitur).

*Discedere lintres densa phalanx videt atque imperturbata virorum
cumque viris quas fidus amor restare coegit.
Iamque valete, animae fortes gentisque Britannae
immortale decus! Memori vos mente colemus,
heroes, siquidem vestrum mirabile letum
humano generi manet aeternumque manebit!*

In versibus sequentibus describitur prima statio, in serenitate coeli et mari et nautarum viatorumque hilaritate.



Alma quies prorsus pelagi tum frena.

Tenebat nec per quinque dies,

per iter iam paene peractum

ulla superba minax caput extulit unda.

Voluptas regnabat dulcis,


regnabant gaudia et risus.

Hac nocte est in puppe

dies splendoreque

miro et choreis celebrabatur...


Voces temibilis adumbrant improvise pacem apparentem. Est ipsa natura, noverca insidiosa, quae monstrat vultum minacem et atrocem. *Nemesis* vultu glaciei, cavet frustra "*Titanicum monstrum*" ab *hybris*, id est Oceani provocatione.



Mirificae subito vibrant per inania voces

quas non aure bibens ore neque edit homo:

*“zonam quae gelidam tangis cava cumque carina,
o cave ‘ait’ glaciem! Magna pericula
cave!” quae Titanica percipiens circumspicit
atque per pelagus passim parvula frusta
videt; indignansque gigas: “formidem talia?” clamat;
frusta vorans pergit precipitare viam...*



Navis praecipitat, aqua et ipso pondere gravata.


O mihi membra tremunt:

Titanum corpora

dira mox iacuisse aiunt

obruta mole sua

dum orchestra pergit sonare tristem et lugubrem threnos.



*En puppis dum fluctibus involoitur
et mergitur, grex symphonicus
modulos hos ultimi qui vocatur hymni personat:*

"prope o magis te, te propius, Deus!

Crucis cruentae ligno ego sublever,

carmen resultans usque canto :

te propius, propius, Deus, te !"⁴

Capitur conscientia gradatim periculi; timore agitur ob timorem concitata festinatione:

⁴ Versus sunt libera translatio Hymni scripti in anno 1841 ab Anglica Sarah Fuller Adams. In Anglico texto, anima ob sitim Dei, advolat ad lucem infinitam, trans splendorem solis, lunae et astrorum; in Padberg additur poetica nota: navis se mutat in aram; eius arbor in lignum crucis.

*Nunc demum plures vitae discrimen haberi
coniciunt capiunt reiciunt retinent.*

Fortunae invidetur illorum qui fortuito tragediam vitaverunt.

Fortuna adversa macte beate miser!

In fine imminenti, amor et mutua sodalitas supersunt solidiores, spes extrema se miscet cum desperatione.



*Florens hic tenerae valedicens sponsus amanti,
roscida mellifluis oribus ora premens*

*"Mox" (ita fallit amor) me quaere Neo-Eboraci;
nunc cave ne noceant frigida flabra tibi.*

Pueris et mulieribus est prima et sollicita cura.


Conferte et hunc : "infans sit prior, exclamat, sit femina salva cum illo".

Fides effusa in extremis vincit *hybrim* initialem: honores, divitiae evanescent in fraterna caritate.

*Ah lacrimas omnes fatum illacrimabile ridet,
aurea vincla secans, ferrea falce pari.*



Ad tragediam memorandam non defuit opera artificum, qui in coloribus tabularum vel formis statuarum expresserunt dolorem victimarum ob vitas atrociter recisas. Dignus nota, Colin Campbell Cooper (Philadelphiae, 1856-Sanctae Barbarae, 1937), iam praestans ut architectus coeliscalpiorum. Hic eiusque uxor servati sunt in naufragio et in *Carpathia* testes fuerunt auxilii praestandi. Ibi enim Cooper pinxit suas telas.



Mare, ut videtur, tingiter rubro sanguinis.

Ipsius artificis aut navis gubernatoris Lightholler est alia tabula, ubi differentes sunt colores. In visione "hyperbolica", simili apocalypsi, res et nomine evanescent in umbra sinistra.



Praeter tabulas pictas, monumenta victimis et eis qui superfuerunt.




Ad exemplum, in urbe Southampton, magnum monumentum ex marmore quod commemorat triginta quinque technicos machinarum, mortuos in mari. In basi est inscripta dicatio ad celebrandam -in periculo quoque- negotio deditionem.



Titanicae Sonatorum Memoriale (supra), orchestrae dicatum est in anno 1913 in urbe Southampton. Deletum in Secundo Bello Mundiali, rursus extractus est, omnino simile originali.




Haec fons in eadem urbe dicata est navis ministris. In eius fronte sculptura navis ipsius.



In urbe Canadiensi Halifax sepulti sunt circiter centum quinquaginta victimae. Hoc monumentum dicatur "puero ignoto", ut legitur in lapide ex marmore.



Novi Eboraci sita est fons marmorea in memoria coniugum Isidori et Idae Straus. Ida recusavit se ascendere in lintrem salvificam sine suo viro, quocum voluit vitam finire.



Maximus monumentorum in orbe est Bibliotheca *Widener Memorialis* in Harvard Universitate.



In platea Urbis Johannis (Johannesburg), est unicum monumentum dicatum tragediae in Re Publica Africae Meridionalis.



Denique in oppido Australiensi, hodie appellata Broken Hill, aliud monumentum
orchestrae dicatum, cum nominibus memoriae traditis.

